...e nobis hominem iustum redde nobis hominem sanctum [illegible] hominem

Si sic in adventu si

...um iustum mansuetum et pium. Evovae. ad .i. a'. Qui persequebatur [illegible] est. ex[illegible]

...os Andreas cum gaudio videbat quia amator crucis semper fuit

...um amplectere [illegible] o bona crux. Evovae. ad .iii. a'. Salve crux que in

...dedicata es et ex membris [illegible] Evov

...a'. Maximilla. ad .ix. a'. Qui persequebatur. In vesperis a'. I[illegible]

...[illegible] ad .vi. a'. Cum pervenisset beatus andreas ad locum ubi crux

...clamavit et dixit o bona crux diu desiderata et iam concupiscenti

...animo preparata securus et gaudens venio ad te ita ut et tu exultans suscipias

...discipulum eius qui pependit in te. Evovae. De nicholai [illegible]


a Sūmo et Solo
gloria Sole venit
Ex omni parte
beabunt
Fœdere perpetuo
stabilique
Celsissimo ac Reverendissimo
S.R.I. PRINCIPI
AC DOMINO DOMINO
IOANNI ERNESTO
Ex Sac. Rom. Imp. Comitibus de
THUN,
ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI,
S. Sedis Apostolicæ Legato,
Germaniæ Primati &c. &c.
ut felix firmetur in ævum.
Ioannes est nomen Eius

VOTUM UNANIME PARNASSI SALISBURGENSIS DEORUM JUDICIO ET ASSENSU APPROBATUM,

DUM IN

CELSISS.mum ac REVER.mum

S. R. I. PRINCIPEM,

ET

ARCHIEPISCOPUM

SALISBURGENSEM &c. &c.

ELECTUS ESSET

JOANNES ERNESTUS

è S. R. I. Comitibus

DE THUN,

EPISCOPUS SECCOVIENSIS,

EIDEM


In Auspicatissimi, ac Longævi

Regiminis Augurium

Humillimâ animi submissione dicatum,

ac oblatum

A VENERANTIBVS SVIS MVSIS BENEDICTINO-SALISBVRGENSIBVS.



Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi Aulico-Academici.

CELSISS.me ac REVER.n

PRINCEPS,

AC

DOMINE DOMINE

CLEMENTISSIME

&c. &c.



Ota noſtra, quæ pius, ac iuſtus æther exaudiit, meritò Terris quoque celebranda videntur. Præcipuè cùm Superûm conſilio eadem non diſcuſſa tantùm ſint, ſed approbata, & ſuo jure firmata. Ultima ergò Junij dum Tibi ad Metropoliticæ Salisburgenſis Tiaram prima fuit, non po-

ſtremos plauſus inſinuare, imò & præſentibus foliis Orbi concelebrandm comittere voluit Parnaſſus noſter Benedictino-Salisburgenſis. Sol vicinus Leoni (inſigni Metropolitico) ſupremam conſcenderat augen, cum Tibi Soli celſiſsimos honores deferrent Illuſtriſsimi ac Reverendiſsimi Capituli Salisburgenſis ſidera, nempè

- - - *ſuum ſolem ſua ſidera nôrunt.*

Agnovit & Helicon noſter Benedictinus, & notis his à Pallade Salisburgenſi Celſiſsimo JOANNIS ERNESTI nomini dicatis ac inſcriptis notum Orbi univerſo voluit pronum promptúmq; ad iubila meritósque plauſus animum. Adſpirârunt benevolentiſsimæ auræ ab omni prorſus cardine, útque ad demiſsiſsimum votum Muſarum ex omni parte bearent Celſiſsimum neoelectum Juvavienſium Caput, omni tempore id ratum, ac ſanctum voluerunt quatuor anni tempora; hinc coronâ non tam civicâ, quàm ex omnigenâ

varie-

varietate adornatâ incinxerunt venerandam, ac ſpirantem diviniora Clementiſsimi Principis effigiem; iuxta Plutarchum quippe,

Ut Principis ſtatuas imaginem,
ſtatuendam velut Dei puta.

Non patientur eapropter benigni Cœlites irritum ullo tempore fieri fœdus à virtute ac Fortunâ in auſpicatisſimum feliciſſimi, ac longævi Regiminis omen ſtipulatâ manu contractum. Ipſe Juvavus gaudio, ac iubilo plenus ut ridenti Apollini, & arridentibus ſibi Muſarum votis perennitatem adderet, marmore firmare viſus eſt, quod voventium ac gratulantium animis hactenus impreſſum hæſerat. Tu interea, CELSISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS, clementiſsimo dignare oculo Unicornu tuum gentilitium in Parnaſsi vertice conſpicuum, ut ſub his optatiſsimis auſpiciis amplius Parnaſsi cultoribus abundantium accreſcat in-

 fluen-

fluentiarum. Amat ſiquidem Virgineum hoc animal conſortium, non abhorrebit hinc caſtas, ut ominari licet, Caſtalides, ſed affluente potiùs ungulâ pretioſiorem, ipſo Pegaſo, liquorem abundantiſsimè ſuppeditabit. Nos non ad aquas contradictionis, velut Iſraëliticus ille quondam populus, ſed benedictionis potiùs, benedicente nimirum cælico Patriarchâ noſtro Benedicto, ut inter benedictos benedicatur ampliùs GLORIOSISSIMUS PRINCEPS, ET ARCHI-ANTISTES NOSTER, vota noſtra exultante animo promemus, ſuperno quidem conſilio mox probanda, Tibi verò clementiſsimè, ſi lubet, approbanda. Sunt porrò Muſæ noſtræ, ut è votis patet, non Ethnico ritu, cultúque notæ, ſed fideles, ac Benedictinæ.

APOLLO.

IoannI ErneΣto
AntIſtItI saLIsbVrgensI
pronVs eXhIbetor honos
à
MVsIs BeneDICtInIs.

ÆqVVM Cenſeo
VoLo, & IVbeo.
Vota Det, & IVngat tVrba.

Hæc ubi dicta dedit, montis qui iura tuetur,
Virgineóque præire Choro consuevit Apollo,
Calliope capit Imperium, ſic Votáque promit:

CALLIOPE.

Ioannes ErneſtVs
De thVn
trIgesIMo IVnII
fIet IVre
prInCeps & antIſtes
saLIsbVrgensIs.

Clio geſta canens factum putat eſſe, refértque:

CLIO.

Ioannes ErneſtVs
EpIſCopVs seCCoVIæ
Coronante MVsâ
ArChIepIsCopVs saLIsbVrgensIs.

Melpomene ſimiles properat mox addere voces:

MELPOMENE.

DIIs faVentIbVs
Ioannes ErneſtVs
fIt CapVt saLIsbVrgensIVM.

Dicta Thalia capit, voto memoratáque firmat.

THALIA.

VIVat, & DIV
perennet
Ioannes ErneſtVs
prInCeps, & AntIſtes
saLIsbVrgensIVM.

Audiit hæc Erato, votóque acceſſit eidem:

ERATO.

Voto noſtro faVet æther.
MItrâ ArChIepIsCopaLI
CoronatVr
Ioannes ErneſtVs
EpIsCopVs seCCoVIæ.

Vota probata ſuo ſtabilit Polyhymnia voto:

POLY-

POLYHYMNIA.

Beata TrInItas
&
InDIVIsa VnItas
MerItò faVet
IoannI Ernefto
prInCIpI & AntIftItI
saLIsbVrgensI.

Terpſichore has toto coniungit pectore voces:

TERPSICHORE.

Ioannes ErneftVs
AntIftes IVVaVII
Infons eft, & sapIens.
non sIne proLe pIâ beneDICet VIrgo MarIa.

Euterpe hæc reliquis ſociat quoque vota Camænis:

EUTERPE.

IoannI Ernefto
pro MerItIs
DabVntVr CLaVes IVVaVII.

Uranie, dum dicta placent, ſic vota coronat.

URANIE

opto, Vt te beet
ROS CæLI, & pIngVeDo terræ,
Ioannes Ernefte,
AntIftes IVVaVIensIVM.


Difcutit interea votorum pondera Pallas,
Et, quia grata, fuo iungit quoque numine pondus.
Qvis, rogo, vota neget? fubnectit Diva: meretur
ERNESTUS, *maiora Deûm ut mox vota fequantur.*
Non ego difparibus referam, quod fentio, dictis.

PALLAS.

Magne Ioannes Erneste!
TVa VnIVersItas
BeneDICtIno-saLIsbVrgensIs
profpera VoVet.

Dixerat, & toto fonuerunt æthere voces:
Numina confurgunt: Alcides fentit Olympum
Nixum humero adplaufus, arcanâ víque moveri.
Phœbus ab æthereâ conceptis lampade flammis,
Caftarum accendit ftudium, curásque Sororum.
Inde fuos Rector Superûm quoque mitior ignes
Sufpendit, rigido præbens exempla Parenti.
Immodicâ ne fors feritate recideret annos,
Sed magis ERNESTO *Saturni Sæcla redirent.*
Ifta videns qui iudicij gravitate verendus
Confilium librat Superûm: decernimus, inquit,
Hoc opus haud immaturæ rationis haberi.
Fatus erat: fubitóque fuam fufpendere caufam
Lance fenex cœpit. Plures exempla fecuti.
Confilio ftatuunt momenta expendere Divi.

CON-



PARS I.

CONSUS.

Provido Superûm Consilio.

I.
Vas Electionis.





CONSUS.
Provido Superûm Consilio.
I.
Vas Electionis.

ADeò necessarium rebus humanis benè gerendis, & feliciter administrandis prisca iam antiquitas duxit consilium, ut nil sanum, faustum, durabile, ac perpetuum sine illo decerni posse, sibi non persuaderet tantùm, sed & Numen aliquod statueret, atque adoraret, quod præesset consilio. Inde Consus inter superna nomina, ac numina celebratus divinos sibi vendicavit honores. Ceu ipse quoque Superûm Rector non satis providè statueret, si magni rem momenti, non auditis aliis quoque Diis, decerneret. Sed basi, ac ratione non caret, quidquid fabularum veteres commenti sunt. Nostro etiamnum ævo, etsi Consus aras, ac imposita sibi thura non videt, succedit tamen meliore ac saniore fidei documento providus ille cæli Oculus,

- - - *qui puro pondera rerum*
Discutit intuitu - - - - -

Unde meritò ingenui Orthodoxæ fidei sectatores nefas esse ducunt adstipulari non prophanis duntaxat, sed & impiis illis Poëtæ verbis:

Sæpè mihi dubiam traxit sententiam mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Certioribus ac indubiis verbis aurem vellicat Sapientia, quæ sic de se: Ego Sapientia habito in Consilio. aut subsequente illo oraculo: meum est consilium, & æquitas. Ne dubita igitur CELSISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, quin superni sit opus Consilij, quod nobis in

Caput Reverendiſſimum ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Metropolitico Capitulo meritiſsimè ſis electus. Adde, quòd illâ ipsâ luce, quâ peculari memoriâ vas illud Electionis totus Catholicus recolit, feſtivóque cultu celebrat orbis. Certè enim & Tu nobis Vas Electionis es. Sive enim Seccovienſes Tuos conſulimus, ſive Juvavienſium vota ad accuratum Saçoma appendimus, vox eadem recurret, atque unanimiter inſonabit, quod vatidicus ille magni Præcurſoris parens in pugillari quondam ſcripſit: Joannes appellabitur. JOANNES ERNESTUS, inquam, magna illa Thunnenſis proſapiæ gloria, cuius integerrima, ac incorrupta in Cæſaream aquilam fides meritò gentilitio in ſcuto non degeneres ſpectat aves. Unde & magni nominis GUIDOBALDUS ille quondam noſter tam propè ad Auſtriacum imperij ſolem acceſſit, ut non tam armiger illius, quàm pleniſſimâ potentiâ ad Comitia imperialia in magno illo Conſilio legatus eſſet, tam de Imperatore, quàm Imperio univerſo meritiſſimus. Huius Tu nunc Salisburgi Succeſſor undequaque digniſſimus tantâ claritate præfulges, quanto iubare radiant illuſtriſſima Metropolitici cæli noſtri ſidera, quibus ut Vas Electionis fieres iuſtâ exceptione maius, ſuo numine potuit magni conſilij Angelus.



Plaudi-

II.
Elegi eam.





I I.

P*Laudite Pierides! iam Monocerotis amores,*
Virgineo properant gremio captare quietem.
Sit procul inde metus: nihil eſt feritatis in illo.
Quin magis ingenitæ ſibi Nobilitatis imago eſt.
Utque ſolent alij cenſere ex vngue leonem,
Sic magis à ſummo pretium vos ducite cornu.
Hippocrates laudat, probat hæc quoque munera Pæon.
Sed Tibi judicium primum debetur, Apollo,
Nam medicina reperta ſuos Tibi ſacrat honores.
Dicite Pierides! nec enim ſine numine Divûm
Contigit, ut fauſtas ERNESTUS *cerneret horas,*
Annua quas eadem Divæ lux ſidere feſtas
Reddit Erentrudi: *ceu ſyllaba prima moneret,*
Verbis, ut lapidi, ac herbis vim ſæpe latentem
A ſuperis tribui. Veſtales plaudite Muſæ!
Et ſacros geminate focos. Sunt omina verbis
Nomina ſæpe ſuis. Sed res movet ampliùs una.
Caſta placent ſuperis. ERNESTO *hæc ipſa probantur.*
Hinc animal, gentilitio quod ſtemmate clarum
Nominis hæredum THUNNORUM *ſcuta coronat,*
Virgineo reperire ſinu eſt: æqualia quærit,
Et gaudet ſimili. Cytharas & plectra parate
Caſtalides! gaudere novo nunc Præſide fas eſt.
Vos genus electum vos caſti gloria Montis,
Plaudite Caſtalides, cornu *gremióque ſovete,*
Quod favet: expanſis *cui cedat Pegaſus alis.*
Illi nunc debetur apex, o numina, veſter.
Summa tenet meritò, qui, cum demiſſior omnes
Vinceret exemplo, magnus ſit, mente Deorum,
ERNESTUS, *Cui, ſi ſpectavit nomina Teuto,*
Congenitus debetur honos; ſi nomen habetur

Anterius cordi: mox Turba novena triumphum,
Et cantabit Jo! *longisque hoc protrahet* annis.
Plaudite Castalides! cornúque *fovete colendum,*
Ac vestro dignum gremio; pretiosior inde
Montis fiet honos - - - - - - - -

Sed en! abrupto quasi filo cæptam de se telam breviter pertexere jubet præfata Diva, quæ, ut primi in sede Metropoliticâ Antecessoris, ac Fundatoris sanctissimi soror, ita Joannis Ernesti amatrix est, dum anniversariâ festivitatis suæ luce, publico Urbis Salisburgensis jubilo, ac plausu concelebrari voluit *Thunnense* nomen, & hinc castissima hæc Diva sinu, ac gremio velut excepit non tam gentilitium Tuum *unicornu*, Celsissime Princeps, quàm celebratas urbi, ac orbi, virtutes Tuas, atque inter has non ultimam insignem vitæ Castimoniam.

Quâ Superis Erneste *places, animósque lacessis*
In famam, laudésque Tuas - - - - -

Quæ Tibi in sorore Tuâ, laudatissimo quondam hujus nobilissimi Parthenonis membro, ac Priorissâ longè meritissimâ, Soror & Mater est. Ama & Tu igitur hanc primam antiquissimi monialium cœnobij Antistitem Virginem undè siquid fluctuum, ac procellarum infidus moliatur orbis, fugito securus ad montem, atque in hoc virgineo sinu Tutus conquiescito. Iterùm atque iterùm ingeminare juvat verba illa:

Casta placent Superis - - - - -



III.

III.
Non quiscunque capax.



III.

CUm fræna Delius regat dexterrimè
Et flammeo currus rotare circulo
Auriga felicissimus probè sciat.
Haud genitus arduo fuit par muneri:
Id orbis haud levi videt dispendio.
Testatur hæres posthumus nigredinis,
Æthiopiam nactus fuit qui Patriam.
Infausta mundi portio damnum tulit
Ruentis orbitæ, notántque posteri.
Sic nempè præceps impetus crebrò nocet,
Prudentiæ ni lora celeres retrahant
A casibus mentes. Modum haud quivis capit.
Sic Icarus nomen ruinâ dicitur
Undis dedisse. Celsior quando rotam
Sensisse fertur igneam, præceps ruit:
Ludúsque factus omnibus casu docet,
Omnes pares haud omnibus. Capienda sunt
Consilia, discitur âb expertis modus,
Et imperitos casus invenit frequens.
Antiqua non solùm probârunt tempora.
Titanis occasum videns necdum dies,
Quis ambigat? rebus docet quamplurimis.
Hinc ales armiger Jovis non quoslibet
Mox approbat, fœtus velut forent sui,
Examinat priùs diei ad lampadem.
Qui sustinent oculis jubar Phœbi, fovet,
Non spurios, nictante qui sunt lumine.
Meliora deligenda sunt; & virium
Habenda ratio non levis, ne corruas
Oppressus onere. Non secùs bene creditur.
Sic Diva, quæ Sors dicitur, sed quam fides

 Nunc

Nunc providentiam vocat, cùm cerneret
Humeros pares moli Tuos, Antiſtitem
Juvavii fecit, bonum, lectiſſimum.
ERNESTUS *imperet! jubet clemens polus.*
Thunnenſis *hinc jubar reſurgat gloriæ.*



IIII.
Deligitur, quod diligitur.



I V.

ARborum florens decus, ac honores
Ille dilaudat celebrátque plectro,
Frondibus quisquis, nemorúmque gaudet
Conditus vmbris.

Quæritur pinus, colitúrque nautis,
Ut secet Rhenum facilis, vel Istrum:
Vel tuas Nerêus terat alta puppi
Mobilis undas.

Palma Victori petitur decora,
Plausibus natum genus, & triumphis.
Fama depescit similes, & ambit
Gloria frondes.

Quercubus Rector superûm favere
Fertur; hinc flamma petit has frequenter,
Corticis ruptæ nota crebra monstrat
Dum Jovis ignes.

Ille qui pavit Deus ipse ruri
Regis Admeti pecus, Ille quærit,
Atque suspirat Tua laureata
Brachia, Daphne.

Cûi favens æther statuit coronas
Destinat dignas, tribuitque dotes:
Deligit Cœlum quod amat, fovétque
Pignora virtus.

Chara Saturni fuit illa Nato
Alites inter, potuit serenum
Quæ tuum, Titan, oculis tuendo
Ferre nitorem.

Illa dilecta est, hodiéque perstat
Numinum primo, meruit trisulecum
Ferre quæ Sceptrum volucris, supremi &
Arma Tonantis.

Deligit dictam volucrem Juvavus
Et suos defert meritis amores
Lætus ERNESTI *celebrátque stirpem*
Principis altam.

Vivat! ERNESTO *canitur triumphus!*
Nota quem virtus voluit colendum.
Diligit plebs Te Tua, diligitque
Undique clarum.

Laureas ferto, viridísque ramos
Arboris; debet Tibi námque frondes
Laurus. Has poscit sibi tam probatæ
Grátia vitæ.



V.

V.
Probatum approbat.



V.

NOn alio, reor, hactenus modo geminam utriúsque Poli molem servavit rerum Conditor, quàm suppositis binis illis Divæ Themidis Lancibus, in chaos cœteroquin ruituram. Adeò venerandum, & sacrosanctum est illud Astrææ tribunal. Et certè dum pessumire videbatur orbis, non inani omninò fabulâ, Astræam è terris recessisse commenti sunt Poëtæ. Peligno vate ità testante:

Ultima cælestûm terras Astræa reliquit.

Et Satyrico Poëtâ paribus propè verbis sic adstipulante:

Paulatim deinde ad Superos Astræa recessit.

At fabulam fuisse, quamtumvis prudenti ratione nixam, persistens etiamnum orbis, me judice, arguit. Nihil etenim ruinam minitanti terrarum circulo tam potenter succollat, quàm intemerata Themidis jura. Undè nec ipso provido Superûm consilio opus ullum bene decerni reor, cui non Diva hæc imponat coronidem, quæ tamen nexu indissolubili supernis illis adhæret mundi arbitris. Utinam & terris propinqua, etsi non par, obtingat felicitas! Vivit magno, justóque multorum solatio depravati corrector orbis, ac vigili oculo intuetur, dirigítque frequenter superno consilio, ac humanæ subtrahit invidiæ viribus, quos ad magna destinavit. Ne tamen fortuitò ad rerum apicem evecti videantur, accurato subdit examini, & pares diligit, qui rerum summam sustentent. Evidenti id exemplo, ac argumento in Te comprobatum deprehendimus, *Celsissime ac Reverendissime Princeps.* Antequàm enim ad Metropoliticam juvavii Sedem Tua Te vocaret virtus, Seccoviensem Cathedram, tentamen præmisit. Et postquàm communi totius Diœcesis illius plausu ponderosæ illæ ac meritissimæ insonuerunt voces:

Multa tulit, fecítque.

Majoribus par invenit, dignúmque judicavit pretiosum,

ac nobilissimum illustrissimæ Familiæ Tuæ UNICORNU censoria illa Diva. Etsi enim jam antehac natam ad magna THUNNENSEM prosapiam in Eminentissimo GUIDOBALDO aliisque plurimùm suspexisset, voluit tamen ad majus famæ auctarium, & gloriosissimum nominis incrementum, etiam propria Tua experiri merita, ut evidentissima dignitas, velut in speculo, toti conspicua foret orbi.

Sic priùs Alcides dederat documenta futuri,
Serpente fracto, roboris.
Et vires experta suas Spartana juventus
Prælusit altæ gloriæ.
Ut valor, & pretium fulvo sint certa metallo,
Lydium priùs lapidem subit.
Arbiter indè alius trutinæ dans pondera, lances
Examini subdit novo.
Hypocrates medicas exercet inaniter artes,
Vires priùs si nesciat.
Explorare animi docet, & discernere dotes,
An sint pares negotiis.
At Tua sat nobis virtus, ERNESTE, *probata est:*
Est muneri par maximo.
Id documenta Tui non tantùm Stemmatis urgent:
Exempla propria plùs movent.



PARS

PARS II.

SATURNUS.

Antiquitatis Suffragante Teſtimonio.

I.

Renovabitur ut Aquilæ juventus mea.





SATURNUS.

Antiquitatis ſuffragante Teſtimonio.

HUmanis nimiùm minaciter falx
Inſtans, fata brevi ſecat ruinâ,
Quæ multis fuerant parata luſtris.
Infauſtum jacet Ilium, jacet nunc.
Annorum numero ſepulta triſte
Urbs tam nobilis ah! nihil fatetur.
Exciſum decus eſt, ruit, jacétque
Tot quæ funeribus ſuperbiebat
Hoſtiles numerans tot una clades.
Quæ formâ Veneri parem fovebat,
Infauſtos Paridis dolens amores
In felix perijt, ruit, jacétque.
Non lucet Rhodijs coloſſus ingens,
Nec tranſire rates vides Apollo
Mundi prodigium, & ſacrata Phœbo
Nunc deſtructa ſuo Deo videntur.
Non ſic nixa polo: magis perennant
Queis ſemper ſtabiles volunt baſes Dj.
Annis Relligio ſtetit Juvavo
Millenis, numero & frequentiore,
Undenum ſuperans vetuſta ſæclûm.

Cùm ecce! minacem antiquis Saturni falcem novâ eludit columnâ benignus æther, & antiquiſſimæ THUNNENSIS proſapiæ firmiſſimum fulcrum edaci rerum objectat Seni. Dum enim juxta tritum illud: ſimile ſimili gaudet, pulcherrimo denuò jungitur connubio THUNNENSIS, ac Juvavienſis antiquitas: Illa nimirum à D. Vigilio, hæc à S. Ruperto longam

 anno-

annorum trahens ſeriem. Jam enim anno tercenteſimo quinquageſimo quemdam è præfatâ illuſtriſſimâ Familiâ cum Sanctiſſimo Antiſtite, Chriſtique Martyre Vigilio Româ Tridentum comigrâſſe, ibique Sedem cum Firmiano firmâſſe antiquiſſimo codicum teſtimonio certum eſt. Addit ulteriùs inſinuata modò librorum fides, aſſignata fuiſſe âb eodem Sanctiſſimo Præſule dictis nobiliſſimis Suis viæ Comitibus certa rura, ac jura, utique in probatæ integerrimæ fidei argumentum. Ut adeò præter conceſſa à beatiſſimo Antiſtite bona, id quoque boni vel âb ipſo Vigilij nomine jure velut hæreditario etiamnum ſibi vendicare videantur ut Paſtorali curâ, ac vigilantiâ noſtris quoque temporibus plurimùm inclareſcant, tot inſigniti ac coronati tiaris THUNNENSES vertices, nominis inſuper & gentilitiæ gloriæ firmitatem, ac perrenitatem ſeris poſteris ominante ac firmante Firmiano fideli itineris, ac ſortis comite. Plaude Salisburgum, & gratulare antiquitati Tuæ, dum Phœnicis, aut aquilarum more innovationem auſpicatiſſimam gentilitia novi Capitis Tui aquila Tibi auguratur. Plaude! ac gratulabundâ voce identidem illa Cytharœdi Regis verba tuo Tibi ſolatio occine: renovabitur ut aquilæ juventus mea.



II.
Nova facio.



II.

UT *lapides fabricam multi, sic littera voces*
Crebra facit, priscus mos velut ista docet.
Montibus æternis major nequit esse vetustas:
Aterno verbo major at esse solet.
Magnus honos, magnum venit hinc, tibi, littera nomen,
Æterno propè par Gloria nempè Deo.
Nempè velut Domini manet omni tempore verbum,
Sic populi vox est : littera scripta manet.
Est arcana tibi vis, littera, id alpha fateri,
Hoc Omega solet, nomine numen habens.
Littera sæpè, reor, magnum dedit unica signum,
Quâ designatus nempè notatur honos.
Pulchrum est monstrari digitis, & dicier hic est!
Hoc sors, credo, probat, cùm modò scribit : Is Est.
Vivat JOANNES ERNESTUS, *Episcopus Ille*
Seccoviæ quondam, sed modò Salsa Tuus.
Quem claræ virtutis honor celebrem facit, Ille Est!
Quémque Chorus Superûm semper amavit, Is Est.
Plausibus, Aonides, vestris dignissimus Ille Est:
Plectro, Phœbe, tuo concelebrandus Is Est.



III.

MAuſoli cineres, Prodigioſáque
Moles Pyramidis, dic ubi cernitur?
Hortis nunc Babylon, quæ ſpecies, rogo,
Manſit penſilibus? Non decus, aut odor
Nares, aut oculos paſcere jam ſolet.
Nec cælo propiùs lumina dat Pharos,
Qualis luce rates, navita, dirigat.
Quæ Turris tumidum nubibus intulit
Nunc æquata pedi vah! caput horrida
Demittit celebris, dic, ſpecies ubi?
Nec veſtigia ſunt jam ſuper unica.
Sic confuſa ruit tota ſuperbia,
Ut nil poſteritas, nil ſibi colligat,
Præterquàm ut memori mente recondita
Geſtans perpetuum nil fore comprobet,
Æther ſolus is eſt, qui ſtabilit vetus,
Succeſſúque novo Stemmata temporis
Mord[illegible] ſapiens invidiæ rapit.
THUNNENSIS remanet gloria nominis,
Suffultum ſolio Pontificum decus
Antiqui retinet poſthuma Stemmatis
Mundus quæ celebrat lumina jam vetus.
ERNESTUM celebrat Pieridum Chorus,
Cùi Tu Phœbe jubar confer, & aurea
Ut ſpectet meritus ſæcula, fac Deus,
Qui luſtras nitido tempora ſidere.

Ita

III.
Te ſuſtentante virebo.



Ita ſanè fas eſt, ut antiquiſſimæ pariter ac Illuſtriſſimæ THUNNENSIS proſapiæ ſerum in JOANNE ERNESTO decus non ſervatum dumtaxat, ſed virtutis omnigenæ, rerúmque geſtarum gloriâ feliciſſimè adauctum futuræ quoque poſteritati glorioſum, & maximorum honorum titulis coronatum nomen tranſmittat, quod noſtra ſibi tempora âb antiquitate pleráque corrumpente intemeratum communi omnium applauſu vendicant.



I V.

DImidiata polo nonnunquam cornua Phœbe
Monſtrat, & ut plenum lucem deducat in orbem,
Fraterno capit hæc aliquod de lumine lumen.
Immenſis gremium dum fluctibus Amphitrite
Undoſum replere ſolet, de fontibus haurit
Diverſis latices, rivos conducit, & amnes,
Sed minui refluo ſentit quoque flumine numen.
Suſcitat ingentes rutilus cum Mulciber ignes,
Admotiſque fovet metuenda incendia lignis,
Corruptâ in cineres mutatur denique formâ.
Nempè vices humana pati quaſcunque neceſſe eſt,
Quæ nequeunt ſemper proprio ſubſiſtere fonte.
Radices natura dedit non cûique perennes,
Durat ſæpè diù, facili quod flectitur aurâ,
Cùm vires ſenium Succo pereunte negavit.
Quandocúnque ſuis deſunt fundamina rebus
Quæ polus immotâ juſſit ſtatione manere.
Intereunt tandem, certis vicibúſque rotantur.
Scripta manent, *quoties expreſſit nomina virtus,*
Natales celebrant longo poſiti ordine faſti,
At meliùs proprijs ſtabilimus pondera cauſis.
Felices animæ, vitæ quas acta beârunt,
Sic meritis, ERNESTE, *Tuis pennam illa miniſtrat,*
Quam gentilitias inter numerare volucres,
Stirps Tua jure ſolet: Jovis eſt, ac Cæſaris ales.
Nempè fidem Servare Jovi ſolet illa Superno,

Au-

IV.
Scripta manent.



Auſtriacóque ſimul: meritò nihil ergò pavebit.
Scripta manent, quæ ſuppeditat veneranda vetuſtas,
Quæq; vetuſtati palmam rapit inclyta virtus.
Antiquæ ſequitur quiſquis veſtigia Stirpis,
Committit celebranda ſolo: quem geſta probârunt
Virtutis merito propriæ facit Ipſe notandum
Falcigero nomen Divo, quod nulla Senectæ
Eraſiſſe queant mala, felix namq; triumphat
Humanam probitas ſortem, tandémque perennat.



V.

FElix id meritò dixeris, auspice
Niti quod assolet Deo.
Multis invidiam gloria parturit;
Vaniq́; pompa nominis.
Si Patrem referas, esse Jovem Tibi,
Minerva Mater siq́; sit.
Si terror populo, aut Deliciæ tuo,
Si fama sisq́; gentibus.
Terrâ si fueris, siq́; freto potens,
Cræsiq́; gazâ ditior.
Si Pactolus opes conferat aurifer;
Arena quásque fert Tagi.
Phœbeæ moveas si Cytharæ sonum,
Culménque scandas Caucasi.
Non est cur stabilem tunc tibi spondeas
Certámque sortis gratiam.
Antiqua Illa magis Relligio valet,
Principia quæ defert Jovi.
Hâc rerum decus, hâc prospera nititur
ERNESTE, *virtus Principis.*
Hæc tutela potens, hæc meritis basis
Secura semper extitit.
Ruperti pietas prima dedit Tibi
Juvave tunc fundamina.
Successor renovat, protegit, & fovet,
Antiquitas ne perduat.
Felix Relligio! tempora senties
Novis redire viribus.
Non est cur metuas arma senis feri.
Juvave non moveberis.
Numen propitium sustinet impetus.
ERNESTE *non moveberis.*

PARS

V.
Non movebor.





PARS III.

JUPITER.

Prosapiæ, ac virtutis incremento.

I.
Bonis Avibus.



I.

DEducta longâ annorum serie Stemmata vix solidè nobilitate suâ gloriantur, nisi virtutis connubio funda, ta, servata, firmata. jactent enim aliqui antiquum genus= levior videbitur ea jactatio, quia talis. Id Satyricum; reor, Poëtam movit, ut his verbis, ac versiculis commone faceret solâ alienâ superbos gloriâ:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque uncia virtus.

Et profectò indignum, atque à generoso sanguine prorsus alienum, & paucis, velut idem subjungit,

- - - - *miserum est aliorum incumbere famæ;*
Hinc - - - - *censeri laude tuorum*
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas - - - - - - - - -

Supersedere tutò poterat salutari cæteroquim hoc monito vates, si in THUNNORUM genus, ac hæreditariam generositatem oculos, mentémque intentam habuisset. Namq; velut ipsum gentilitii nominis Etymon THUN germanico idiomate operationem innuit, ità suo sibi indigni nomine videbantur, nisi propriâ rerum gestarum magnitudine, ac claritate, id undique collustrâssent. Ut enim ab ipso illustrissimæ prosapiæ primordio filum posteritati ducamus, an non satis supérque velut è limpidissimo eluxit fonte in primo illo, quantum quidem âb iniquâ plerúmque vetustatis falce vindicare licuit, ad seræ posteritatis notitiam transeunte, THUNNENSIS nominis nobilissimo hærede? Quis enim præsumeret Strenuissimum illum in vineâ Dominicâ operarium, Pastorémque vigilantissimum Vigilium, ignavum aliquem, segnémque dormitantium ac Thersiten

 in

in viæ comitem adſciturum fuiſſe ? nec pegener âb hâc primævâ ſanguinis ac virtutis gloriâ noſtrum etiamnum perſiſtit ſæculum. imó ut à copioſiſſimo, ac prodigioſo velut, virtutum incremento immenſum auctarium admirabundo ſiſteret orbi; præter Galerum Cardinalitium ſeptem in tribus âb eodem Genitore ſatis fratribus adoravit Tiaras. Placuit nimirùm Eminentiſſimis ac Celſiſſimis his Triumviris evidentiſſimo, ac luculentiſſimo hoc argumento hortatorijs illis Taciti vocibus vim facere, atque illuſtriſſimum aliquod ac omni exceptione majus exemplum ſtatuere; ne fruſtra ità monviſſe videatur: *Nobilitate*, ait, *cœteros qui anteit, ejus virtus experienda, an dignum ſe Patre, patruo, avóque præbiturus ſit.* ann. II.

Bonis avibus itaque id factum nemo ambigat. Jove nimirum propitio, & Aquilas THUNNENSES, cùm minimè degeneres cerneret, pro ingenti virtutum merito multipliciter coronante. Ut adeò illuſtriſſimæ Familiæ omnimodè gratulari, atque ulteriora auſpicatiſſima Eidem futuræ gloriæ incrementa augurari fas ſit, ac æquiſſimum.



II.
Jovis arbore gaudet.



II.

ANtra feris sedem, rupes dant tecta columbis,
Et militi tentorium.
Navita nocte suam crebrò videt incola puppim,
Venator arbores colit.
Squammigeram retinent sobolem sibi Tethyos undæ,
Et limpido Nereus sinu.
Extruit in celsis nidum sibi garrula tectis
Paritura Progne posteros.
Quod Jovis est, Jovis ales amat, repetitque, colitque:
Hinc indicat certum genus.
Quæq́; coli proprio cupiunt sic Numina fano,
Mystásque certos vendicant.
Tu Magnus Jovis es, velut esse merere Sacerdos.
Virtus id exigit Tua.
Undè frequens repetis Magni quoque tecta Tonantis,
Sacris notissimus locis.
Non desunt pia thura Tibi, quibus æthera placas,
Non ara, victimæ, foci.
Non tamen aut fruges, Asopo sive probata
Quæ Mulsa sunt, seu quæ molæ.
Non caper, aut aries, nec bos decorata corollis
Sed liba mentis candidæ.
A genere & proavis non est Tua degener ales;
Nam quæ Jovis sunt, hæc petit.
Quod colis, hinc coleris: Tibi maxima templa Juvavus
Consignat hinc dignissimo.



III.

PLaudite vos Aquilæ!
Non terreant ignes Jovis
Serpentiúmque livor.
Eumenides agitant
In cœlites frustra caput:
Ridetur ira tandem.
Chara sibi Superi
Semper tuentur, & fovent.
ERNESTE *nil pavebis.*
Et genus, & pietas
Victoriam spondent Tibi,
Ac debitum triumphum.
Quidquid inest Erebo
Malignitatis, id fugam
Dedisse mox videbis.
Se furor ipse necat.
Iram coquens virus vomat:
Intrivit hæc, edétque.
Nil generosa timent,
Qualia geris Tu, pectora,
Et Machinas Stygis rident.
Insinuat propiùs
Frustra malum se fortibus,
Et providis futuri.



III.
Non timebit.




IV.
Romani non ultima ſigna triumphi.



I V.

T*Arquinio Aquila Priſco notam Regis Tibi*
Aurea nonne dedit
Prælata ſceptro fulgurans?
Bellantibus ſignum frequens Quiritibus
Omina ſæpè bonis
Dum contulit ſucceſſibus,
Auxit Triumphi gloriam præſentiâ
Culta Deo ſimilis,
Cunctiſq; digna ſuſpici.
Et ipſe Rector Cœlitum victoriam,
Quâ cecidiſſe Patrem
Ferunt, refert huic aliti.
Ruêre Titanum minæ, victrix Jovi
Tunc Aquila hinc placuit.
Ridetur Oſſa, Pelion.
Feſtos dies Auguſta vidit hæc Avis
Regis amore ſui,
Cûi reddidit ſemper fidem.
Simillima at ſunt ſomniis hæc omnia,
Quæ tamen indè trahunt
Noſtro colenda ſæculo.
THUNNENSIS *hæc ſunt gloriæ prældia,*
Has quoque Roma cupit
Auctariis aves ſuis.
ERNESTUS *incrementa dat Eccleſiæ:*
Cum pietate Fidem
Servabit integerrimam.



V.

Est aliquid jactare Deos habuisse parentes.
Nam Jovis è cerebro soli prodire Minervæ
Concessum fuit: Alcides Genitore Tonante
Editus, illustris fuerit natalibus infans,
Non tamen asseruêre polo cunabula natum
Sola, locum superos inter virtute paravit.
Et canis antè trifaux domitus, lernæa perempta
Antè fuit pestis. vestem Leo præbuit antè
Cæsus, & Æripedis comprendit cornua cervæ
Aurea mactandæ priùs: immanem tulit aprum
Antè suo Regi, Thracem vicítque Tyrannum,
Lethiferâ infestas pennâ necuítque volucres.
Aurea pervigili rapuit quoque poma Draconi.
Hæc patrem movêre Jovem, qui cuncta labore
Vendit, ut indigetem stellati fecerit orbis.
Ridiculum juvenis Pellæus condere numen
Visus erat, genitum cùm se Jove jussit haberi.
Cùm nivibus rigidos superavit prævius alpes,
Atque caput galeæ presserunt pondera, laudis
Materiem congessit: honos virtute creatur.
Et genus, & proavos numeras, ERNESTE *potentes,*
Sic tamen ut solâ pendas virtute beatos.
Ingenio, zelo, pietate probatur, & armis
Gloria THUNNORUM, *qualem jam prima tueri*
Sæcula cœperunt, qualem Tua promovet ingens
Cura Deûm, vigili quæ lumine vinceret Argum.
Non tot habent aut Æthna faces, aut ora Vesuvj,
Quot Tibi ferventes succendunt pectora flammæ.
Hinc, ubi Bistoniis discurrit proximus agris
Sarmata, discrimen nihil horrens agmina ducis
Ad Tua currentis populi Sacraria, Præsul.
Et vulgi quoque tecta subis virtutis amore,
Quem, si homines taceant ingrati, saxa loquentur.

PARS

V.
Sola est, atque unica virtus.



PARS IV.

PHOEBUS.

Prudentia, zelique Exemplo.

I.

Lucem communicat orbi.



I.

MAgnorum Principum, illorúmq; virorum, qui velut in speculâ constituti subditorum mores arbitrantur, præcipua, ac necessaria planè virtus est Prudentia. Quæ, si Poëta meretur fidem, est ipso nonnunquam

- - - - - - *Fato Prudentia major.*

Ea siquidem rectorem non minùs dirigit, quàm regendum. Ars est non minima immodicam populi moderari naturam. Prima illa omnium regula, divina, aio, Providentia in sui dispositione non fallitur, quisquis ergò aliis imperat, ductricem rectam hanc lineam apprehendat necesse est; etenim Magno Aurelio teste: Rex mentium Deus est. Immotum nimirum illud Numen. Mobile vulgus semper vel retrahendum, vel permovendum Gubernatori, idq; ut bene fiat, non âb aliâ petendum est normâ, quàm Prudentiâ. Cui si pulcherrimo connubio jungatur zeli exemplum, faciliore negotio flectetur naturâ pertinax, & incertum, ut Tullius monet. Noscenda ergò, juxta Tacitum, natura vulgi est, & quibusmodis temperanter habeatur; nam Epigrammatici Poëtæ testimonio:

Principis est virtus maxima nôsse suos.

Non tacendum, quod præfatus Tacitus inculcat, vulgus esse judicij expers, ac proin alterius ductu ad saniora consilia inflectendum. Plebi non judicium, ait, non veritas. Et Cicero: non delectu, aut Sapientiâ, inquit, ducitur ad judicandum, sed impetu, & quâdam etiam temeritate. Opus est ergò luce comunicatâ etiam Juvavio nostro, quam quia illustrissimam semper suspexit in ERNESTO THUNNENSI tota civitas, non minore applausu, quàm voto suum salutavit, excepítq; Principem. Diffunde igitur consueta virtutũ exempla, velut radios clarissimos in devotam Tibi urbem, &, Solis instar, ad frugem anima. Tu enim,

- - - - - - *quanto est dux milite major,*

Tanto nos Superas, Prudentiâ, ajò, multoties actis illustrissimis commonstratâ, & exemplis quamplurimis nobis comunicatâ: ità ulteriùs, Princeps Clementissime, prosperè intende, procede, & regna.

I I.

NEmo inficiatur, Summates viros optimè diurno conferri posse sideri. Præterquàm enim quòd in oculis omnium jubare suo gratissimo majestatem præseferat spectatissimam lucidissimus ille Cœli oculus, ferventísque rotæ flammas per varia terrarum spatia gyratus nunc uni, nunc alij orbis Cardini accendat ardore minimè pari; etiam virtute arcanâ agit, séque suaviter insinuat vegetabili passim regno. Quem blandum, ferventémque pariter agendi modum si principes viri assequuntur, feliciter ad clavum sedent, ac fascibus potiuntur,

Si vel in Eoos extendant fræna penates,
Aut ubi sublimes succendere Delius ignes
Majori virtute solet - - - - -
Semper enim, qui imperat,
- - - - - - - medio tutissimus ibit.

Ita quibus astrum illud suos attemperat æstus, flore perpetuo gaudent. Magna, ac præcipua illorum ars est, qui Summam rerum nacti sunt, si nôrint habenas tam laxare, quàm attrahere; nimia quippe Severitas, ut Veritas, odium parit. Benè, ac prudenter Princeps ille, qui Plinii monito: ità cum civibus suis, quasi parens cum liberis, vivit. comitate, nimirùm, & alloquio officia provocans, velut Tacitus hortatur. Tibi Celsissime, ac Reverendissime Princeps, Idem prorsùs animus. Suavis JOANNES, fervidus ERNESTUS moderato semper pectore cuique suum tribuit.

Sic polo Titan radiante currus
Invehit, flammas moderatus orbi:
Fræna nunc laxat, revocátque pronos
Axe jugales.
Exerit vultus subitò nitentes,
Ridet, ac totus faciem serenat
Fulgidus Floræ, Zephyríque buccas
Flore coronat.

Sæpè

II.
Suaviter, ac ferventer.



Sæpè ſlagrantes cohibere tædas
Nube conſuevit : nimio virentes
Igne ne campos violare poſſit,
Mitigat æſtus.
Zona, quæ frigus Boreale ſtringit,
Quæq; torrentis ſubit ora Phœbi,
Incolas neſcit. Moderata durant,
Atque perennant.



III.

Ridere sortis orbitam fortes solent.
Movetur hæc frequentiùs, sed ludicro
Vel flebili plerúmque rerum termino:
Audacibus palmam dat; & mox eripit
Gazam frequenter nobilem paventibus.
Gyratur illa mobili semper rotâ.
Movet, movetur, sphæra sicut Cynthiæ,
Nunc orbe pleno promicans, nunc cornua,
Arcúmque fronte præferens, mutabiles
Notat vices, & orbis inconstantiam.
Exempla terrent, quæ levis sors exhibet.
Exempla virtutis movent fortissimè.
Minas gigantum maximas sprevit polus,
Risítque majus viribus negotium.
Nam vera virtus non fuit, contra Deos
Quæ movit arma; sed malæ mentis furor.
Perennat id, sacer quod impetus movet.
Democritus ridens, levísque Róscius
Pulmone toto perstrepant, renes movent,
Non mentis ima, quæ sibi Cœlum petit.
Tu corda Præsul permoves potentibus,
ClaríSque THUNNORUM; Tuisque maximè
Gestis, & omnium probatò laudibus
Vitæ modo; nam ut imperatur, vivitur.
Concentus est hic optimus: longè Orphei
Præstantior lyrâ est, Arion, vel tuâ.
Sic persona, sic impera: movebimur.




IV.

III.
Exempla movent.



IV.
Indè liquent vestigia lucis.



IV.

Quos Ledæ genitos ovo conjunxit amores
Ortûs prima dies, per ſæcula vidit, & annos
Progenies humana quidem, maioribus ætas
Prodigijs par nulla fuit, paribúsque parandis.
Cernit poſteritas eadem miràcla, ſtupétque
Sic geminos fratrum coaleſcere poſſe favores,
Ut ſubeant eadem, ac repetant veſtigia lucis.
Quid canis, ô Vates: rara eſt concordia fratrum?
Eſſe queat potior? ſimilem non ſuſpicit orbis.
Rara avis in terris, nigróque ſimillima cygno.
Attamen eſt aliquid, fateor, me judice majus,
Cùm non ſic aliis debemus lumina flammis,
Ut de luce nihil propriâ ſuperaddere tentet,
Qui cupit à geſtis mundo inclareſcere rebus.
Cynthia fraterno de lumine ſumere lumen
Dicitùr, Illa tamen propriæ quoque lampadis ignes
Semper habet; ſolo neque gaudet ſidere Phœbi.
Cum repetit merſas Titan ex æquore bigas,
Nocturnæ remanent Phæbe veſtigia lucis.
Hæc ſpectare ſolet, lucis qui tractat habenas.
At maiore tamen mox is ſuper eminet aſtro.
Magna vides, ERNESTE, *Tui veſtigia Fratris,*
Guidbaldi: *de Te quondam maiora canemus.*



M V.

V.

AMplum quondam indicis, ac indicij nomen, ac penè Numen fuit; tot enim portentosis se passim insinuârunt modis, ut totus propè antiquus orbis in superstitionem abierit. Somniis, Auguriis Haruspiciis, & mille aliis viis diversa indicia varios signârunt eventus. Et ipsi plerumque supremi vertices tantò magis prodromis hisce notis obnoxij fuerunt, quantò magis supra plebem eosdem vel Fortuna, vel virtus locavit; Hinc ipsemet magnus orbis Domitor Alexander Macedo senior omnia in omen trahebat. Nos aliquid præcurrentibus signis, ac omini, dandum fidei non diffitemur. Dummodò fines servent incorruptos monitoriæ illæ voces: *Ne quid nimis!* Nobis interea certius illud omen est, quod in virtute venit. Præcipuè Prudentia, ille *animæ oculus*, magnam vim ominis in ijs potissimum assequitur, qui sanguinis claritatem iunctam habent. Est etenim hæc virtus, Justo illo Belgâ iustè eam sic definiente: *Intellectus & delectus rerum, quæ publicè privatímque aut fugiendæ aut appetendæ.* Et quid hinc potiùs requiremus in summo aliquo Directore statûs publici? meritò proindè divinus Plato non tam ità divinat, quàm sancit: *Prudentia sola præit, & ducit ad rectè faciendum.* Hoc in Te quis non pridem deprehendit omen? Ipsum PrVdEntIæ nomen si vocales eiusdem litteras eruimus, meritò consonantes dixeris; adeò enim initialibus Nominis Tui consonant, ut optimo sanè concentu acclamare videantur: Vivat IOANNES ERNESTUS! vox profectò *secundi* toni, quantum cum Musis Musicæ arbitrari licet. *Peregrinus* nisi forsan illis videatur, qui ipsi passim malè *audiunt*, quique æquis non ferunt oculis tantum prudentiæ iubar, noctuæ non tam Athenis natæ, quàm Athenas, & ultra mittendæ, Illustrior est Principis nostri prudentia,

quàm

V.
Hic illuſtris ſimus index.



quàm ut à malevolis obſcurari queat, quamvis non deſint, qui in ipſo etiam ſole maculas comminiſci audent. Nobis præcipuum in Principe prudentiæ indicium eſt, Religio. Hâc enim ſubſiſtente, in Republicâ ſalva omnia, ſecùs illâ ruente. *Decet* proin, ut non inani documento Diogenes è Stoâ, *quod optimum eſt ab optimo coli, & quod imperat, ab imperante.* Ad id quia totâ mente, Zelóque adnititur Celſiſſimus IOANNES ERNESTUS Noſter eosdem mihi denuo characteres recurrere adverto, & IVrE; es etenim vel ipſo Tuo nomine Tibi *illuſtriſſimus index.* Patere igitur aliquem Tibi ſtatui horoſcopum, & quamquam laudes tuas redoleat, memineris tamen, encomia ſtimulum, ac calcar eſſe generoſis animis, ut nomini perennando alacriùs inſiſtant.

IndE Tibi hos titulos faciunt duo Grammata IurE.

IOANNES ERNESTUS

Index Encomiorum.

Iuvavii Expectatio.

Incrementum Eccleſiæ.

Idæa Epiſcoporum

Ioſephi Exemplum.

Imperii Emolumentum.

Iuſtitiam Eſuriens.

Innocentiam Exaltans.

Improborum Exilium.

Indefeſſus Experientiâ.

Immortalis Elogio.

PARS

PARS V.

HERCULES.

Generositatis & Experientiæ documento.

I.
Fecerunt documenta parem.



I.

ADesse fortioribus Deus solet.
Fluctibus à refluis
Tranquilla pax mari redit.
Perennat haud corusca flamma fulminis:
Præcipitésque faces
Cæli excipit Serenitas.
Et gratius Phœbi iubar post nubila,
Immodicámque Noti
Furentis iram cernitur.
Cùm sæviens brumæ gelu deferbuit,
Omnibus hinc magis est
Desiderabilis viror.
Qui noctibus sepultus antè plurimis
Cimmeriisque fuit,
Spectat diem iucundior.
Gratam voluptatem dolor dat prævius.
Spina Rosas generans
Plantata, culta carpitur.
ERNESTE sic Tibi juventa floruit.
A puero gravior
Præteferebas Herculem.
Hinc experiri multa placuit, ac pati.
Hæc documenta dabas.
Quo fueris ortus sanguine.
Fortes creantur fortibus: nec degener
Tu Genitoris eras,
ERNESTE, magni Filius.
Suavis indoles, sed & maturior:
Jámque notatus erat
Cothurnus in crepundiis.

Indè arduas aggressus es Phœbi vias,
Pieridúmque decus
Genio colebas nobili.
Domesticos linquens lares, mox ultimis,
Quos spaciosus habet
Orbis, vidêre finibus.
Jactatus & salo, & solo nihil paues.
Mens tibi juncta Polo
Nil horruit discriminis.
Adversitatum victor inclytus sacris
Principium dederas
Cultu Deorum prævio.
Vt thura feruidus parares Ætheri,
Corda fuêre rogi
Æthnea plusquam incendia.
Virtus in auge visa diffudit jubar.
Hæc documenta parem
Tanto creârunt muneri.



II.
Firmabitur, & non flectetur.



CUm Ponti Domitor terrificum genus,
Fluctus imperio commovet horridos,
Sublatis propè ſint ut modò ſidera
Antennis, barathri jámque repoſcere
poſſint videri gurgitem,
Inſidunt animis Mortis imagines,
Millenis agitant pectora motibus,
Vnguis ceu Tytio cùm fera viſcera
Excerpit, vel onus cùm grave comprimit
Montis Tyrannum vindicis.
Anguſtis Adriæ ſeu mare finibus
Claudatur, gremium ſeu ſpatioſius
Pandens Oceanus jura tricuſpidis
Sceptri dum ſequitur, ſemper habet metus
Eſt plena res diſcriminis.
Accedit pelago major âb hoſtibus
Nonnunquam pavor: & nota pericula
Mens crebrò metuit, quando propinquior
Arcus Sauromatæ, teláque perſtrepunt
Freto videnda Baltico.
Romanus referat, qui fuit incola,
Vates, terribilis cum populo loci.
Hîc curis domus eſt, & patriæ ſolum.
Nunc ponti fremitus, nunc fera natio
Mentes premunt anguſtiis.
ERNESTO rediit tuta ſerenitas,
Non terrent Boreæ murmura, vel ſali
Commoti latices, armáque Sarmatæ.
Diſcrimen, bene quod tranſiit, eſt decus,
Robúrque magnis mentibus.

THUNNENSI *melior ſpes rediit rati.*
Romanam ſequitur Naviculam Ducem,
ERNESTI *meritis advehit inſulas*,
SALZBURGO *geminat ſtemmate gaudia:*
Firmata non movebitur.



III.
Lustra illustria.



III.

NOn quævis Leporum ſedes eſt apta Leoni:
Vulpes ſic frutices inter, dumóſque vagantur,
Non Elephas, magis ampla ſibi qui luſtra requirit.
Vix Alnos Panthera ſubit, Tigriſve Myricas.
Nec Salices Jovis ales amat, tua tectáve, Progne.
Anguſtos auguſta cavent animalia ſaltus.
Flammivomos, qui frænat equos pharetrámque ſagittis
Inſtruit auratis, non quaslibet ille latebras,
Aut minimi contempta ſubit ſpelæa receſſûs.
Parua nimis præda eſt, tanto neque numine digna,
Sanguine proſtratus tingit cum tela Lycaon.
Et Dea, quæ nemorum frondoſas incolit vmbras,
Formidanda feris ſua cùm venabula torquet,
Vel metuendus aper petitur, vel ceruã fugaci
Quæ pede ſe canibus multos ſubtraxit in annos.
ERNESTO luſtrata procul quoque luſtra fuère,
Illic palma ſuas vbi tendens plurima frondes
Commigrare videt fuluos ſub teſqua leones.

Magnum hoc quidem generoſi animi encomium, Illas vidiſſe, ac perluſtrâſſe regiones quas non quilibet promiſcuè ſpectavit, imò quò pauci pertigerunt. At ne longiùs hæc ipſa laus petita videatur, ad Tuos redux ampliùs confirmâſti generoſæ mentis ſpecimen, dum non aliquorum more, peregrinis imbutus vitiis, iter omne moribus obfuſcâſti, ſed illuſtrâſti vitâ integerrimâ, ac laudatiſſimâ rerum multarum peritiâ. Et hæc demum *luſtra illuſtria*, hoc ingentis ſtimuli argumentum; imò & omen eſt, dum ſemper plus vltra connixus, inſigne de Te documentum præbuiſti, non inter communia Te quondam ſubſellia, ſed excelſa dignitatum culmina inquirendum eſſe. Gratulatur hinc ſibi Parnaſſus noſter Iuvavienſis, iteratò ſe notum ſibi MONOCEROTEM inter illuſtria ſu-

lustra venerari posse, quem post LEONEM LADRONIUM per lustra jam aliquot suspexit. Et certè maximâ etiam exindè fiduciâ animatur, dum illustrissimâ affinitate junctum vtrumque adorat. Tu Clementissime Princeps, âb his fundata, ac conservata novâ gratiarum luce bea, & ampliùs hæc *lustra* redde *illustria*.



IV.

IV.
Plus honoris, quàm oneris.



I V.

QUod hæsit antè CARDINI, poscit basin
Nunc denuò novam sibi.
Præcognitam tamen, suæque bajulum
Nempè VNICORNU gloriæ.
Assuevit huic moli: pares humeros habet.
Honoris est capax sui.
Incumbit hinc THUNNENSIBUS tutissimè
Onus Juvaviensium.
Si tamen onus dici queat, quod est honos,
Auctariúmque gloriæ.
ERNESTE, ferto prosperè, nam sic vovet
Devota civitas Tibi.
Echo Tuis in alpibus sic personat,
Idémque clangit vallibus.
Virtute nam quod nititur, durabile est,
Ruina certa cæteris.
Atlantis hæc est Summa laus: Cælum tulit.
It nomen hinc ad posteros.
Vt munus, arduum licet, leviùs feras,
Tui memor sis nominis.
Famam sui pius parentis baiulus
Sibi perennem vendicat.
ERNESTE non minus decus Juvavium,
Si fortiter fers, conferet.



V.

IN ſe principium boni, malive
Quod ſentit, documenta dat futuris.
Certum eſt Experientiâ Magiſtrâ.
Radici ſua vis ineſt ſtupenda,
Ac herbis pariter notata multis,
Vt crebrò medicæ probatur arti
Galenus celebris, nec eſſet vllus
Pœon, ni faceret magiſtra rerum.
Aſtrorum varios videmus orbes:
Illic Mercurii faces rotantur,
Hîc ſplendet Venus, & propingua Martis
Illic ſtella rubet, Iovíſue ſidus
Excelſo radiat polo decorum
Virtutemdoceas; habetur illa
A ſolâ Experientiâ Magiſtrâ.
ERNESTI *ſatis eſt probata virtus.*
Non eſt degener hic âb VNICORNŨ,
A Summo pretium ſibi quod ingens
Cornu ſemper habet fugante virus.
Securum ut Latices bibat venenna
Hinc arcet priùs, & nociua pellit.
Tu virtute pari fugare nôſti
Corruptos vitio, pelóque charos
Servas, atque foves amore juſto.

Ita eſt, Clementiſſime Princeps. Multiplici; imò & omnigenâ Experientiâ ſatis ſupérque edoctus quid Reipubli-

cæ pro-

V.
Experientiâ magistra.



cæ prodeſſe, quidque eidem nocumento eſſe queat, agis quod juſtum eſt, Cœlo dictante, animo ſupernis legibus conſtanter aſſentiente. Vnum igitur ſupereſt, ut Parnaſſi tui Benedictino Salisburgenſis æquiſſimum pariter, ac vnanime votum Clementiſſimè admittas, qui MONOCEROTEM Tuum gentilitium in Pegaſi vicem adorare ſtatuit, Eidémque has primitias in ſubmiſſiſſimæ Obſervantiæ argumentum dicat, ac conſecrat.

LaVs Deo pVero
VIrgInI genItrICI
nVtrItIo Ioſepho
sIt honos parIter seMpIternVs.





[illegible]
5 Teile mit
je 6 Kupfertitel,

[illegible]

...nctavit. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟.

...vm de ambularet dominus supra mare secus li tus

galilee vidit petrum et andream retia mittentes.

...vit eos dicens. Venite post me faciam vos piscato

℣. Erant enim piscatores et ait illis. Venite.

vocem domini predicantis audivit beatus andreas relic...

Quorum usu ... vivebat eterne vite secutus

... ℣. Ad unius iussionis vocem petrus et andre...

...s secuti sunt dominum redemptorem. Quorum. ℟. Homo

...tur ut crucifigerent eum populus autem clama bat